

D. Boyvin Senior asseruit nobis, D. Peireschium possedisse Josephi historiam Græcam, cum eodem fragmento; & Carolum Labbeum J.C. scribere ad D. Bigotum, integrum in manu Scalligeri servatum. Legimus in Naudæana pag. 168. secundæ editionis, D. Schurtz Eleich Vitembergensem Josephum Scaligeri possidere. Quæ si vera sunt, rem faciet Eruditis omnibus gratissimam, si integrum Historicum illum publico permittat.

A Athanas. in Synops. Synsell. Philastr. alii plures. Vide Coteler. not. in Canon. Apost. pag. 117. 118. 338.

B Sixt. Senens. Biblioth. l. 1.

C Ita Selden. de Success. in Pontif. ex Pofsevino.

rent, certior eâ de re iudicium ferre pronum esset (b). Veteres Græci catalogi referunt inter-dum quatuor Libros Macchabæorum, ali-quando tres, sæpe duos. Canon 84. Apo-stolorum tanquam Librum sacrum agno-scit tertium Macchabæorum. Tanquam-Scripturam Sacram laudat Theodoretus in Dan. 11. 7. In eodem censu ac tres alios Libros Macchabæorum recenset Author Synopsæ inter Opera S. Athanasii; quos omnes Libros in eorum numero collocat, quibus contradicitur; nempe unanimi Ec-clesiæ consensu non probantur. Gemina-legas apud Nicephorum Archiepiscopum Constantinopolitanum in fine Chronogra-phæ, qui tamen non nisi tres Maccha-bæorum Libros agnoscit. Eusebius in Chron. ad A. 1800. notat tertium Mac-chabæorum, nihil addens, quo de autho-ritate ipsius dubitemus; illud tantommo-do observat, præposterè locum illi assi-gnatum post geminos Libros Macchabæo-rum: historiam quidem reapse continet Macchabæis vetustiore. Fatemur quid-è Eusebium ipsum in Chron. ad An. 1580. omnes æquè Libros Macchabæorum à Canone, quantum apparet, expunxisse; observat enim, Divinas Scripturas sub Ne-hemia finem habuisse; & quæ deinde succe-dunt, desumpsisse se ex Macchabæis, Jo-sepho, & Africano. Philostorgius Hist. lib. 1. cap. 1. apud Photium, primum qui-dem Macchabæorum expressè recipit; se-cundum pariter admisisse videtur: tertium autem rejicit, portentosum eum vocans, nihilque simile primo narrante. Sed esto portentosus sit; an propterea Scripturæ

contrarius? an repugnantia veritati hi-storiæ, fidei, & morum continet? Tan-dem veteres quidam catalogi inter vete-ra Græca Monumenta D. Cotelerii (c) quatuor Libros Macchabæorum inter eos recensent, qui apud Septuaginta desunt. Ex his omnibus statuendum est, an-cipitem aliquandiu hæsisse antiquitatem, num tertium Macchabæorum admitteret; quem deinde hodie uno consensu Græca & Latina Ecclesiæ ad apocrypha amanda-runt; non quod fictam aliquam historiam contineat, sed quod à Divinarum Scriptu-rarum autoritate excidat. Neque commemorandum mihi in præ-sentia, Librum hunc plerumque Lati-nos fugisse; à quibus nunquam, quantum scio, laudatur; & in Mss. omnibus æquè ac in veteribus Bibliis impressis considera-tur. Paruit Liber primus in Frobenianis A. 1538. Scriptum à Grotio creditur Opus pau-lò post Ecclesiasticum (d) à Jesu filio Si-rach digestum; inscriptum autem titu-lo tertii Macchabæorum, quod post duos priores apud Christianos innotuerit; qui-bus tamen minor fuerit huius, quam il-lorum autoritas. Elegans esse Opus, sed parùm cognitum Josephus Scaliger (e) ani-madvertit. Stilus tumet, Tragædiarum non abfimilis, cæterùm sublimis est in sen-tentiis, pius pariter & cultus. Superest Syriaca quædam Versio minùs accurata. Porro Lucubrationem hanc Gallicis lite-ris tradere, quod à nullo adhuc factum sit, optimum factu adjectis adnotationi-bus duximus.

C Vide Coteler. Not. in Can. Apost. pag. 117. 118. & 338.

D Grot. in hunc Librum.

E Animadvers. in Euseb. Chron. p. 127.

IN QUARTUM LIBRUM MACCHABÆORUM PROLEGOMENON.

Quamquam apud veteres de quarto hoc Macchabæorum Libro sermo occurrit [a], rarè tamen illo usos maxi-mè Latinos aded constat, ut quid potissimùm Ope-ris eo nomine ab illis designaretur, nodie ferè Eruditos lateat, & in omnibus æquè Bibliis Latinis ne inter Apocrypha quidem appareat. Quin & ejus memoria jam inde à pluribus annis obsolevisse, atque inter deperditos deplo-ratosque Libros habitus fuisse videtur. Cum Sixtus Senensis (b) in Ms. quod-dam Græcum incidisset, ad Bibliothecam Sanctis Pagnini apud Dominicanos Lugdu-nenses spectans, invenisse sibi quartum Macchabæorum ita persuasit, ut in socie-tatem erroris vulgò Eruditos adduceret. Post aliquot inde annos incendio absumi Bibliothecam illam contigit (c), unaque

interdicit Codex facilè unicus, cum ne-que Lugduni, neque alibi uspiam gemi-nus alter unquam inventus sit. Plena ejus rei cognitio frustra alias sperabatur, nec de ejus amissione alia supererat solandi Eruditos ratio, nisi quoddam historia Sacer-dotii Joannis Hircani (hanc enim exhibebat Ms. Opus) satis exactè à Josepho descripta Antiquit. lib. 13. haberetur. Cum verò post aliquot annos D. le Jay in Polyglottis Parisiensibus historiam Arabicam Macchabæorum post Regnum Seleuci filii Antiochi Magni usque ad tem-pora Jesu Christi continuatam, & ex Gre-co, uti quidem apparet, adornatam vulga-verit, nacti sibi in illa quartum Mac-chabæorum tanto temporis spatio deside-ratum Eruditi sibi visi sunt. In illud pla-nè Arabicum Exemplar omnia quadrant, quæ Sixtus Senensis in Græco suo ani-madvertit; utriusque narratio ab illis ver-bis

bis orditur: Constituerat Simon, ipso vi-vente, ducem filium suum Joabanan, id est Joannem, dare &c. Quarè P. de la Haye idem Opus Latine redditum in suis Bibliis maximis dare sub titulo quarti Maccha-bæorum operæ pretium duxit. Porro Sacerdotium Hircani historiam continet Judæorum 29. vel 30. vel 31. an-nis continuatam; neque enim satis in ea re convenit (d). Hujus dissidii in cau-sa est, quod alii Regni ipsius exordium ducunt à communicata illi à Simone pa-rente Republicæ administratione, misso-que per oras Palæstinæ Præfecto finibus Judææ defendendis; cum interim alii ab obitu ejusdem Simonis Regnum ipsius ducendum putent. Lucubrationem istam nos adnotationibus nonnullis illustratam Gallicis literis traditam damus; quanquam aliqui habemus persuasum, abesse illam plurimùm à quarto Macchabæorum; quem-admodum infra adductis argumentis fiet planius. Damas autem Gallicè non totum Arabicum Scriptum à D. Le Jay vulgatum, sed omisso 19. prioribus capitibus, & 32. posterioribus; illud tantummodo retulisse contenti, quod olim Sixtus Senensis pro quarto Macchabæorum usurpa-vit. Totum Gallicè vertit D. Baubrun, impressumque legitur in tertio volumine Bibliorum Gallicanorum Parisiis apud Desprez. Commodum autem sibi ducunt Le-ctores, si totam hanc historiam ejus ætatis se-riem nanciscantur. Scriptum primò Hebraicè Opus intelli-gimus, cum in gustu, periodis, & phra-sibus Hebræam sapiat. Paria in suo Græ-co Exemplari Sixtus Senensis animadver-tit; & indolem omnem Hebraicam Arabi-cis servavit. Textus Originalis Hebræus idem erat facilè ac Commentarii de Sa-cerdotio singulorum Pontificum scripti. Post captivitatem enim Babylonicam idem mos sub Sacerdotibus Summis servatus, qui olim sub Regibus, in publicas nem-pe Tabulas redigendi quæ majoris momen-ti sub illis acciderant; quemadmodum ex primo Macchabæorum intelligimus (e). Ex his fontibus historiam hausit Josephus, post Macchabæorum ætatem usque ad Re-gnum Herodis Magni continuatam. Au-thor, de quo modò, seu potius Arabicus ejusdem historiæ Interpres, vel si mavis Græcus, ex quo versionem suam Arabicus adornavit, seriùs, & non nisi post everfio-nem secundi Templi à Romanis florebat. Observat ille, Idumæos ab Hircano sub jugum ductos religionem Judaicam usque ad everfionem secundi Templi retinuisse (f). Samaritam plerumque Sebalthen, & Sichem Neapolim vocat; quæ sanè no-mina diu post Hircanum obtinuerunt. A Josepho in pluribus discrepat; uti cum Hircani nomine plerumque appellat, qui Josepho & primo Macchabæorum, Cendebaus nuncupatur (g); historiam la-tentis in sepulchro Davidis thesauri aliter ac Josephus enarrat (h). Regis titulum à Senatu Romano concessum Hircano tra-dit (i); numerum Senatorum Romano-rum ad 320. determinat [k]; tres tan-

E 1. Macc. 16. 24. Ecce hæc scripta sunt in Libro Sacerdotii ejus, (Joannis) ex quo factus est Princeps Sacerdotum post patrem suum.

F Vide 4. Macc. 2.

G 1. Macc. 15. 38. & 16. 1. 4. 8.

H 4. Macc. 2. 14. Macc. cap. 3.

K Ibidem.

tum liberos Hircano tribuit [l]. Josephus quinque. Milites Syros & Ægyptios ple-rumque nomine Macedonum appellat; sicut & quem nos montem Garizim, ille montem Jezabel. In exitu verò historiæ quædam notat, quibus scribere se diu post primum Operis Autho-rem prodit (m). Namque post narratas tres illas potissimas Judæorum sectas; quæ sub Hircano emerferunt, addit de Has-danim: Nec meminit Author Libri institu-tum ipsorum, sed quatenus hoc dicitur ex nomine; incumbere enim iis operibus, quæ ad præstantiores virtutes accedebant. Negocium facit, an Liber iste quartus Macchabæorum habendus sit. Obstat si-lentium Græcorum, & Latinorum, qui neglexisse Opus, atque in situ & obli-vione reliquisse videntur; nec sanè ulla ejus rei memoria superesset, nisi traden-tibus Arabibus haberemus. Adde, Veteres quartum Macchabæorum laudantes nun-quam Opus ita designasse, ut ipsissimum esse eum hac historia insinuent. Tandem affirmandum nobis suscipimus, Veteres illos, qui Opus præ manibus habebant, nostrum hoc ne nosse quidem unquam; quare duo hæc Scripta inter se credimus distinguenda. Eusebius (n), & S. Hieronymus (o) post productam usque ad exitum Simonis historiam; è primo Mac-chabæorum derivatam; de filio ipsius Hircano narrandum suscipiunt, quarto hoc Libro ne indicato quidem. Idem Euse-bius, Sulpicius Severus, Cedrenus, ali-que plures (p) de Hircano sermonem ha-bentes, ejus nominis rationem derivant ex Hircanis, quos populos ille prælio fudit in expeditione Antiochi Sidetis, cum nem-pe Regem illum in Persidem proficiscen-tem conjicaretur; quæ sanè repugnant tes-timonio Scriptoris hujus Libri, inditum viro nomen è devictio Hircano, quem nos Cendebaus appellamus, tradentis. Alius igitur quærendus est quartus Mac-chabæorum Liber, quem ipsissimum credimus cum Lucubratione Josephi, inscri-pta de Imperio rationis; cujus Operis ar-gumentum est rationis imperium supra passiones assertum, quo pietas juvatur, nihilque est tam difficile, cujus felicem exitum ratio non inveniat. Pleraque Gre-corum Bibliorum Mss. hunc Librum tri-bus aliis Macchabæorum continuant [q]. In nonnullis is legitur præfixus titulus: Josephi de Imperio rationis, sive quartus Macchabæorum; in aliis verò tantum: Quartus Macchabæorum. In Bibliis Græcis Basileensibus Hervagianis 1545. & Fran-cosurtenfibus Vechelianis A. 1597. post tres priores Macchabæorum Liber iste subiun-gitur, adjecto titulo: Liber Josephi in Mac-chabæis. Vetus Ms. laudat D. Cotelerius (r), in quo Macchabæorum quartus in-scribitur: De imperio rationis. In Biblio-thecâ Regiâ (s), & Coislinianâ (t) quæ-dam extant ejusdem Josephi Operis Mss. quarti Macchabæorum præfixa titulo. Ne-que alium quartum Macchabæorum novit Philostratus (u), qui Opus illud Josepho Historico vindicat; quemadmodum etiam Eu-

14. Macc. ult.

m 4. Macc. 6.

n Euseb. De-monstr. lib. 3. cap. 2. o Hieron. in Dan. 9.

p Vide Euseb. in Chronic. Sulpit. Sever. lib. 2. hist. Ce-dren. alios An-tiquos & Re-centes apud Jul. Scalig. not. in Euseb. Chronic.

q Vide not. Combefis in Jo-seph. lib. de Imperio ratio-nis.

r Coteler. not. in Canon. Apost. p. 339. s Manuscript. Bibliot. Reg. n. 1875. t Coislin. Mss. duo. u Philost. hist. Eccles. initio. Eu-



x Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 10. y Hieron. de Scrip. Eccl. & lib. 2. contra Pelag. 2. Chrysol. hom. 2. in SS. Macchab.

Eusebius (x) & S. Hieronymus (y). S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Macchab. S. Ambrosius lib. 2. de Vita beata cap. 10. 11. 12. & S. Chrysostomus in elogiis suis de Sancto sene Eleazaro; & septem fratribus Macchabæis non obscure ex eodem Josephi fonte hauserunt (z). Marius Victorinus Africanus, qui Romæ sub Constantio florebat, hunc eundem Librum carminibus adstrinxit; sed ille liberius aliquid quanto excurrans, plura de suo adjecit. Vide tom. 4. Bibliot. PP. pag. 297. &c. Ex his omnibus facile in eam sententiam descendimus, quartum Macchabæorum à Veteribus laudatum, ipsum esse Josephi Opus de Imperio rationis.

a Heb. 11. per totum. b Rom. 5. 15.

Author hujus Operis in sententiam Stoicorum descendisse visus est, apud quos mira de prerogativis virtutis humanæ, & rationis, qua solâ præstari omnia potuisse defendebant; sed hæc omnia in unam tantum fidem (a) Dei gratia fultam (b) quadrare, Religione Christianâ docente discimus; si quid enim boni supernaturalis, si quid sancti præstamus, id unice fidei, gratiæ & charitatis merito accepto referendum est; quibus amotis nunquam ed adniti possumus, ut Deo placeamus. Robur & virtutem Martyrum Macchabæorum potissimum fidei accepto referendam suadet Apostolus 11. 3. Per fidem vicevunt Regna &c. Aliud Stoicorum dogma, quod adoptasse Author videtur, æqualitas est criminum; ita enim loquentem inducit senem Eleazarum cap. 2. Sive in parvis, sive in magnis peraquè est prævaricari. Dogma istud æquè & in veram Religionem, & in rationem pugnat. Insinuat alibi, & sine ambagibus, natorum animas è parentibus derivari (c), juxta satis receptam apud Veteres opinionem, nec satis è mentibus quorundam Patrum excusam, hodie tamen è Scholis prorsus eliminatam. Totam autem rem gestam constituit Jerosolymæ sub ipsis Antiochi oculis; quod non satis in secundo Macchabæorum exprimitur.

d Confer 2. Macc. 2. 3. 7. 8. cum c. 1. hujus Libri.

In eo tamen fidei secundi Macchabæorum aperte repugnat, quod missum à Seleuco Nicanore tradit Apollonium Præsidentem Syriæ, & Phœnicæ ad sacrum Æarium expilandum (d), cum non Apollonium habeat Textus Macchabæorum, sed Heliodorum; nec Seleucum Nicanorem sive Nicanorem primum inter Seleucidas, sed Seleucum Philopatorem, inter illos Reges septimum. Errat pariter intolerabilis (e), cum Antiochum Epiphanem Seleuci filium statuit, frater enim erat natu minor.

f 4. Macc. Præfat.

Indignam tanto Rege mentem Davidi imputat; quippe quem constituisse apud se dicit nullâ adactum necessitate, nunquam se situm, qua ditè excruciabatur, levaturum, nisi certi cujusdam fontis aquâ epotâ (f). Nihil tale in Libris Regum;

legimus enim ibidem (g), David siti adactum obiter tantum indicasse, gratum sibi futurum, si aquam è cisterna Bethel potare daretur; qua Regis voluntate intellectâ, tres viri fortissimi apertâ sibi per media Philistæorum castraviam haustam lympham ad Regem detulerunt. Peccat etiam in ea referenda historia Author, cum duos tantum non tres viros fortissimos notat; cum etiam aquam illam diutius conquississe viros illos affirmat; ac tandem in mediis hostium castris inventisse testatur.

g 2. Reg. 23. 14. 15.

h 4. Macc. Præfat.

Confundit etiam alio in loco (h) annum sabbaticum cum anno Jubilæi. Errat, cum Antiochum fuisse Judæis post occisum Eleazarum septemque fratres (i), & cum susceptam ab eo Principem in Perfidem expeditionem dicit (k); fidem superat ingens pecuniarum summa à Jafone ad Seleucum missa, quam enumerat ad 3660. talentorum, monetæ nostratibus 17813904. librarum circiter; unde nantantum pecuniæ Jafoni? Patrem (l) septem fratrum Macchabæorum apud illum quidem, non autem in Libris Canonicis legas; sicut & septimi fratris supplicium matrisque ille solus refert. Frustrâ apud Moysen quaras, quæ de Angelo exterminatore Israelitarum castra igne absumpturo (m), nisi opportunè intercessisset cum thymiamate Aaron, narrat (n). Eadem insinuas videtur Apostolus 1. Cor. 10. 10. Nihil hic ego de stilo turgido, & longè petitis figuris affectato; quorum tadium & in orationibus prolixitatem nemo ex Lectoris non sentiet. Hæc facile vitia in causa fuerunt, cur ad Apocrypha Opus rejiceretur. Josephum illum Authorem fuisse vix in animum induxerim; neque enim ineptis hisce & erroribus par est Scriptor insignis (o); qui in alienis Scriptis laudandis minime parcus, de Scripto isto ne verbum quidem habet. Stylus & cætera omnia ejusdem Operis aliena sunt à tanto Historico; ut illius nomine famam Operi suo conciliare voluisse Author videatur.

i 4. Macc. cap. 16.

k 4. Macc. ibid.

l 4. Macc. cap. ult.

m 4. Macc. 4. n Num. 16. 46.

o Grotius in Luc. 16. 19. abjudicat hoc Opus à Josepho Historico.

a 2. Timot. 3. 16.

b August. Præfat. in Psal. Vide & Ambros. Præfat. in Psal. n. 4. & Basil. item Præfat. in Psal. Alban. Ep. ad Marcellin.

c Vide Chrysol. in Psal. 137. & August. Præfat. in Psal. d Cassiod. Præfat. in Psal. sparsum.



IN UNIVERSUM PSALMORUM LIBRUM PROLEGOMENON.

I.

Elogium Psalmorum, præstantia, & utilitas.

U Niverfa licet Scriptura Divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia (a); plus tamen aliquid contulisse Deus benedictionis & virtutis Divinæ in Psalmos visus est. Sacer iste Liber, tanquam uberrius vite fons, salutare ad omnia vite commoda aquas largus effundit. Totus veluti summan omnium, quæ in Scriptura continentur, utilium complectitur: Psalmorum Liber quæcumque utilia sunt ex omnibus, continet, ait S. Augustinus (b). Veteres in illo historie ab ipso Mundi exordio, Leges à Deo hominibus datæ, exempla Sanctissimorum Patriarcharum, de adventu Messie, vocatione Gentium, Ecclesiæ constitutione oracula; uno verbo communis quidam doctrina thesaurus est, apertè singulis necessaria subministrans, ait idem Pater ibidem. Dolore opprimeris? relevat; perplexitatibus angere? dubitationes omnes subducit. Vulneratè menti & altè licet fauciatè pharmacum est, inveteratis quibusque ulceribus sanandis presentissimum. In tedio, in dejectione animi, in metu omne ab illo solatium, robur omne & virtus suaviter blandè que suppeditantur. Id enim Divino Providentiæ consilio factum est, ut dulci eloquentiæ & poësis sapore condite veritates traderentur, quod delicias simul cum pharmaco potarent Lectores; instar Medici sapientissimi, qui utili dulcia miscens, crateris lymbum, quo remedium porrigit, melle circumlinat.

radiantem, veritatum fontem, vas celestis liquoris, hortum delicatissimorum fructuum.

Lex docet, ait S. Ambrosius Præfat. in Psal. historia instruit, futura referat, prophetia impij redarguuntur, moralis suadet; In Libro Psalmorum profectus est omnium, & medicina quædam salutis humanæ. Jure meritoque appellaretur Dei laus, plebis laudatio, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio. In Psalmis, ait idem Sanctus, omnia simul Religionis meæ testimonia percurro, omnia Prophetarum oracula; per singula discuro adventus & resurrectionis Jesu Christi argumenta. Vitare peccata instruo, nec penitentiam detrectare. Tanti Principis unâ simul & vatis exemplo, ne in crimina proruum, retineor; ad criminis jam admitti confessionem urgeor, & lapsus jam in peccati barathrum relevor.

Præter hæc suavia cordium blandimenta, quibus illè tantum animæ tanguntur, quæ ædificationem, & Religionis pabulum in Psalmis quarunt; alia sunt etiam ad eorum gustum, qui amœnioribus & elegantioribus delectantur. Inter sapientissimos æquè ac doctissimos Scriptores satis convenit, ingenuæ & minime fucate eloquentiæ exemplar in Psalmis præferri; neque enim grandia desunt & sublimia, non pathetica & blanda; non delicata & simul expressivè loquendi phrases; omnia argumento apta, & perfectè totius generis eloquentiæ exemplaria. In moralibus verò disciplinis tradendis quid justius, quid magis purum absolutumque? Tenerimè pietatis sensus delicatos, & verè divinos inspirant; abditæ quæque & maximi momenti Religionis mysteria pandunt.

Tandem, ut verbis S. Ambrosii utar, certat in Psalmo doctrina cum gratia; simul cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem. Jam inde à Davidis ad nostram usque ætatem Psalmorum lectio in deliciis piarum animarum habetur; insonant quoridie Psalmorum cantilenis Domini Tempia; nec ab exordio Religionis ad nostra usque tempora adhuc cessatur. Nullum aliud orationum exemplar perfectius posteris suis tradendum sibi Apostoli

Y y